

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

Ill Adolescenti Stanislao Niegossevski Polono

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



ILL.^{RI} ADOLESCENTI
STANISLAO NIEGOSSEVSKI
P O L O N O



PTIME cecidit, Stanislae praestantissime, ut, quod ego summopere optabam, id Tu uicissim optares. Nota mihi Tua uirtus erat. nota Tuarum laudum gloria. restabat, ut Tu mihi, ego Tibi de facie notus essem. maximopere igitur deuinctum me esse profiteor Gabrieli Cauatio, ingenij, & iudicij laude praestanti, qui effecit, non solum ut Te nossem, sed ut Tuum congressum, excellentemq. uirtutem gustarem. Ego Te magni faciebam. nunc fateor, uicisse Te opinionem meam: diuinumq. ingenium Tuum esse, a uulgo longe remotum; qui ea praestes, quae homines neque mirari satis pro dignitate possunt. O te felicem. o me quoque felicem, cui contigit Te nosse, Tuaeque amicitia frui. Fac, quaeso, diutius nos non esse in Tui desiderio. neque Tuam praesentiam nobis nega; qui, Te praesente, aliquid sumus; absente, nihil prorsus esse nobis uidemur. Ut igitur mei memoriam Tibi renouem, haec ad Te mitto, Arati uersus a Cicerone conuersos: Poetam Poetae: malum Poetam bono Poetae. Librum de Vniuersitate Critonio meo, uel mortuo, dedi: Tibi, Critonij laudatori ne dicam, an aemulo? an utrique? an superiori? Aratum do. Mirum, dum scribo, me inflammat Tui uidendi desiderium. totos dies tecum libenter essem: qui ex Tua consuetudine maximum fructum capio. Tu uersus non scribis, sed fundis. Ut uere Poetam te natum esse omnes iudicent. Non Tu Thomam Peregrinum, in celeberrimo isto Patauino Gymnasio Metaphysicen, eximia sui gloria, & auditorum utilitate, publice docentem, mortuum in funere carmine, ex tempore publice laudasti? Quid plura? Nae, qui Te laudare uult, neque initium, neque finem reperiet Tuarum laudum: quae cum maximae sint, & immortales, immortalis praeconio dignae sunt; & Te ipsum laudatorem quaerunt. Redeo igitur ad primum illud: Fac, Venetias reuertens, ut possimus Te regustare; & omnibus Tuam uirtutem communicare. occultam enim esse non ego facile patior: neque ea esse uult. modestus sis, quantum

uis. modestiam Tuam superabunt amici Tui; neque Te latere uolent, qui
nimium iamdiu latueris, modestiae Tuae uitio: hoc enim titulo appellare
libet. Maiorum Tuorum nobilitas, uel maxima, nihil Te illustrat. ni-
hil ex ea ad Te redundat, bonorum omnium iudicio. nobilitatem ipsam
illustras, per Te ipsum: qui tantum ei splendoris affers, quantum alij ex
ea accipere saepe gloriatur; & si saperent, non gloriarentur. Vera nobi-
litas est, uirtute praestare; & a se ipso nobilitatem petere. ijq. mihi ueri no-
biles uidentur, qui, uel si maxime nobiles sint, qualis Tu praecipue es, no-
bilitatis uet uetis titulis, contemptis, nobilitatem a se sumunt, in eaq. glo-
riantur. O ueram gloriam. quam qui consequuntur, beati illi mihi, bo-
nisq. omnibus uideri solent, & beati certe sunt.

Deus opt. max. Te, qui tantam uirtutem (nondum XIIIX. annum na-
tum, quod est mirum dictu) possides, diu felicem esse uelit.

Venetijs, IV. non. Nou. ∞ D XXCIII.

Tui obseruantissimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.



ARATI · VERSVS

A. M. TVLLIO. CICERONE

CONVERSI

Et, ubi aliquot in locis, iniuria temporis amissi Ciceronis uersus desiderantur, eos addidimus, quos, a Virgilio, Germanico Caesare, Rufo Auieno conuersos, colligere potuimus: qui, eorum nominibus e regione notatis, internoscuntur.



VIRG. 3. ecl. **B** Ioue principium, Musae, Iouis omnia plena.

VIRG. 1 Geor. **A**tque, haec ut certis possimus discere signis, Aestusque, pluuiaque, & agentes frigora uentos Ipse pater statuit.

GER. **N**unc uacat audaces in caelum tollere uultus Sideraque, & uarios astrorum noscere motus:

Haec ego dum laetis cogor praedicere musis, Pax tua, tuq. adsis nato, numenq. secundes.

CIC. Cetera labuntur celeri caelestia motu, Cum caeloq. simul noctesque, diesq. feruntur.

GER. **A**xis stat, motus semper uestigia seruat, Librataq. tenet terras, & cardine firmo Orbem agit extremum.

CIC. **E**xtronusq. adeo duplici de cardine uert ex Dicitur esse polus.

VIRG. **H**ic uertex nobis semper sublimis, at illum I. Geor. **S**ub pedibus Styx atra uidet, manesq. profundi.

CIC. **H**unc circum *ἄρτοι* duae uertuntur.

GER. **T**res temone, rotisq. micant, sublimi quaternae, Si melius dixisse feras, obuersa resurgent Ora feris, caput alterius super horrida terga Alterius lucet. pronas capit orbis in ipsos Declinans humeros.

Croesia uos tellus aluit, moderator Olympi Donauit caelo. meritum custodia fecit, Quod fidei comites prima incunabula magni

Fuderunt Iouis attonitae, cum furta parentis Aerea pulsantes mendaci cymbala dextra Vagitus pueri patrias ne tangeret auras Dictaci exercerent dominae famuli Corybantes Ex his altera apud Graecos Cynosura uocatur Altera.

CIC.

Quas nostri septem soliti uocitare triones. Dat Graus Helice cursus maioribus astris.

GER.

Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto. Sed prior illa magis stellis distincta resulget, Et late prima confestim a nocte uidetur.

CIC.

Haec uero parua est, sed nauis usus in hac est: Nam cursu interiore breui conuertitur orbe. Sidoniamq. ratem numquam spectata se fellit. Has inter ueluti rapido cum gurgite flumen Toruus draco repit, subter supraq. renoluens Sese, conficiensq. sinus e corpore flexos.

GER.

CIC.

Huic non uno modo caput ornans stella relucet, Verum tempora sunt duplici fulgore notata, E trubicusq. oculis duo feruida lumina flagrant, Atque uno mentum radianti sidere lucet, Ostipumq. caput tereti cernice reflexum Obtutum in cauda maioris figere dicas.

Hoc caput hic paullum sese, subitroq. recondit. Ortus ubi atque obitus partem miscentur in unam. Attingens defessa uelut maerentis imago Vertitur.

ἑρῶναι dicunt, genibus quod nixa feratur.

Dextro